

atque stabilitas infans fluviorum inundationibus, sœvisque exundantis maris tempestatibus concuti, conquassari, convelli solet. Adversaria potentia impetus hæc significant, quos irritos asserit futuros, quantumcumque adversus recens fundatam terram, novosque orientis orbis protoparentes immaniter desæviant. Attollant licet superba in cælum flumina elatos fluctus, fremat licet in spumas actum Oceanum, excelsior tamen, potentior, validior Dominus, qui tumentes comprimat aquarum moles, firmamque ac securam tueatur, quam fundavit, terram. Hanc ego textus magis consonam putabam explicationem, quam illorum qui fluminum, & aquarum nomine, sapientiam vel Vatum, vel Apostolorum, vel Doctorum interpretantur, qui hanc novæ terræ conditæ, novorumque terræ Parentum Christi, & Mariæ originariam sanctitatem testati sunt. Et si ad secundam hanc explicationem haud invitus adducar propter sequentis Hemistichii nexum: Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Quæ testimonia divina pro explicatione sint præcedentium fluctuum & aquarum Symboli, in quibus Deus sese mirabilem exhibuisse dixerat.

Celebratur decora Dei: pars sancti-
as.

2137 Tandem concludit: Domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum. Pagninus & Arias vertunt: Domui tuæ decora est sanctitas. Eadem ex Hebræa respondet hic verbo decet, sive decora, quæ v. 1. subest illi latinæ decorem indutus; ut innueret ab illo Dei decore divinæ domus decoram sanctitatem ortam esse. Convenit ergo domum tuam perpetuâ decorari puritate, munditia: vox enim Hebræa Kodes, quam Vulgatus vertit sanctitatem, significat munditiam apud LXX. Isaia 65. 5. Nu. 5. 17. Ergo illustri epiphonemate totum Vates clausit Psalmi argumentum. Quasi dicat: Ad hoc firmum decorum tota novi hujusce orbis mundissima fundatio pertinuit: hoc munditiæ decorum, ut in novis mundi Parentibus pridie sabbathi redderet creator, decorem ipse, & fortitudinem indutus est, quo quidem forti decore id egit, ut recens fundatus orbis minimè nutaret; hoc est, nova Eva, novus Adamus acceptam firmi decoris sanctitatem nunquam essent amissuri. Idque quantumcumque hostis ille Tartareus contra cælestem fœminam, ejusque filium ingentes tentationum atque persecutionum fluctus convolveret, uti vomuisse, atque movisse legimus Apoc. 12. Nimirum divino promissum olim fuerat Verbo, futurum ut ab ejus veneno Mater & Filius immunes essent, eò quòd nova jam terra, nempe & Mariæ uterus, & humana inde assumpta caro, domus erat Dei, quam absolutissima decet munditia. Itaque Matris & Filii decore munditiæ originariam adscribit Pfaltes.

Selestiora Patrum testimonio pro decore Mariam im-
munitatis.

2138 Probatur etiam minor illa propositio ex SS. Patribus, qui munditiam ab originali labe cum B. Virgine decore ex sanctitate proveniente conjungunt. S. Matthæus Apostolus in Hymno de Assum. B. Virg. apud Amad. Apoc. Raptu 8. dum de Maria ad Matris Dei dignitatem evecta agit; Spiritus sanctus, inquit, te sanctificavit, præservavit, purgavit, & singularibus privilegiis decoravit. Consulto præservationis puritati decorum privilegiorum addidit S. Greg. Thaumaturg. ser. 1. in Annunt. Ita ut decuit, con-

S. Mattheus Amadaus,

קט

sentaneè, convenienter, dignè, uti par fuit. ex S. Thaum. decore (his modis reddas Græcam vocem Πνεύματι) Angelus S. Mariæ Virgini primo omnium illud, Ave gratiâ plena, Dominus tecum, præsignificavit; ex omnibus enim generationibus hæc sola Virgo sancta æva pura corpore & spiritu procreata est. Vide decorum attendisse Angelum, cum Matrem Dei futuram tantâ insignem gratiâ salutavit, ut purissimam ab ipsa sua creatione extitisse diceret, de sententia gravissima Thaumaturgi. S. Proclus Constantinop. Patriar. ser. de B. Mar. in Conci. Ephesino. Nullam inde Christus contrahit labem, quòd intra viscera, quæ citra omnem dedecoris notam condiderat, inhabitat. Sapientior dedecoris notam à Virginitate creatione removendam censuit, ut Matris, ac Filii nascituri decore consuleret. S. Anselmus lib. de exor. Mundanæ salutis: Quia igitur ita fieri oportebat (ut Deus homo fieret, & Redemptor) Matrem, de qua talis crearetur, mundam esse ab omni peccato decebat. Et lib. Cur Deus homo c. 18. Decebat, ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum &c. ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque Dei Patris & Virginitatis Filius. Nec minus perspicuè S. Bernardus Ho. 2. de laud. B. Virginitis, S. Bernardus Senensis to. 2. Ser. 51. in Feria 2. post Domi. Palmarum a. 1. c. 1. & Gerson Ser. de Nativ. B. Mariæ in Concilio Constantiensis. Mariam, inquit, ita prævenit gratia sanctificans, ut quamvis lege communi teneretur obnoxia peccato originali, nihilominus lege privatâ ac privilegiatâ, sic præventa est, ut nequaquam illud generale contraheret, quoniam hoc & potuit & decuit fieri, &c. Vides Mariæ munditiâ ab originali vitio pertinere ad Filii Matrisque decorum, & quia ipse pulchra decoraque dilectio est, & quia ipsa tam pulchra, tamque decoræ dilectionis Genitrix est.

S. Proclus.

S. Anselm.

Gerson.

2139 Aliter id etiam probò; præmittens cum S. Augustino Ser. 18. de Nativ. Christi Mariam sponsæ titulo nunquam caruisse, imò æternam cælestis Sponsi sponsam semper extitisse. Disertè id Augustinus pronuntiat: Semper Virgo est, quæ semper sponsa est, & Maria semper quæ vocabulo sponsæ non caruit, in æternum per Dei Virgo permansit, & quæ sponsa æterna dicitur. (Osee 2. 19.) æterna Virgo probatur. Si verò semper sponsa fuit Maria; ergo in ipsa etiam Conceptione. Suffragatur perspicuè Chrysologus Ser. 140. Videtis: nam argutè docet, B. Virginem, cum feret, id est, in prima sua Conceptione pignoratam esse divino sponso, hoc est, veluti proprium & charissimum Incarnationis pignus in utero Annæ deposita, atque suo servanda sponso Christo Jesu, pignoratitio jure destinata. Igitur B. Virgo sponsæ nomine & honore nunquam non fuit potita.

Ad decorum Sponsi spectat sponsam custodire & lotypo amare.

2140 Subinde fit, ad Christi Matris suæ sponsi decorum, decoramque dilectionem spectasse, sponsam suam sibi destinatam custodire zelotypo, si fas est dicere, amore, eam ab omni labe præservando. Audias S. Maximum Taurinensem Ser. de B. Virg. Hæc, quæ fuit admirabilis Dei thalamus, cælestis templum, & tabernaculum gloriæ, de quo speciosus prodit sponso; condecemer & congruè nulla macula originali contaminata est. Signa verba conde-

S. Maximus.

center, & congruè. Quod in hunc modum urgeo. Dicas, obsecro; quotusquisque non ex summatis tantum Quiritibus, sed ex infimatis etiam existat plebeius, qui vel configuratam sibi sponsam resignari pateretur, si tamen exiguo honoris studio, & decore amoris tactus turpissimam valeat injuriam depellere? Maximè cum non solum infamia ex illata uxori injuria, infamæque vindicta ad conjugem spectet, sed sponsæ etiam pactæ ad futurum sponsum l. Item apud, D. de injuriis, ubi sic decernitur: Sponsum quoque ad injuriarum actionem admittendum puto: etenim spectat ad contumeliam ejus injuria quæcumque sponsæ ejus fiat. Et l. Si uxor, D. ad l. Juliam, ubi marito conceditur adulteri vindicta etiam in sponsam; reddique rationem Ulpianus: Quia neque matrimonium qualecumque neque spem matrimonii violari permittitur. Si igitur privati cujusque civis humana Gentium jura ita honori providendum censuerunt, ut non modò conjugem, sed promissam etiam sponsam sponso servet ex jure, si vel spem humani matrimonii nullo prætextu violari permittunt humanæ leges: quid de tanti sponsi tali existimandum est, ac tam sperata sponsa, quam à primo creationis articulo tam arcta sibi pignoratione pepigerat? Adeonè illum decori sui & honoris vel oblitum, vel prodigum dixeris, ut per nullum divinum jus propriæ famæ infamæve provideret? Itanè futuram sponsam à turpissimo proco violari pateretur? Non David avus, non Patres citati tulerint; nedum ipse sponso decori sui & honoris studiosissimus. Ipse ipse pulchra ac decora est erga sponsam & Matrem suam dilectio.

Vel ad futurum sponsum spectat injuria sponsæ facta.

Ulpian.

§. IV.

Ab honesto Christi honore, cultu, pietate, religione, & observantia erga Matrem suam, Mariana comprobatur immunitas.

2141 **M**atrem se Deipara appellavit non solum pulchræ, ac decoræ Dilectionis, sed Timoris etiam, id est, corporati Verbi, quod est timor ipse. Cum autem timor in sacris Scripturis sæpissimè accipiatur pro honore, cultu, pietate, religione, & observantia in Deum Genes. 20. 11. Deut. 6. 18. Job 1. 1. Pl. 21. 24. Pl. 24. 14. Pl. 32. 18. & passim alibi; in præsentiarum quidem timor, hoc sensu capiendus est. Timoris itaque se Matrem Virgo deprædicat, id est, honoris cultus, pietatis, religionis, & observantia, quæ illam suus Filius semper profecutus est, uti verissimam Matrem, per quam multis se beneficis obstrictum agnoscebat. Ipsemet Dei & Mariæ Filius ipsissima, fuit in Matrem pietas, religio, honor, cultus, observantia; ipsamet Virgo ipsissima pietatis, religionis, honoris, cultus, & observantia Mater appellatur; tunc quidem quando in ea omnis gratia via & veruatis resplenduisse asseritur, ea præsertim, per quam ab originaria labe fuit præservata. Ut certè intelligamus, ad hunc maximè honorem, pietatem, & observantiam, quam Filium Parenti impendere debet, spectasse Marianam immunitatem. Rem totam comprobemus, & illustremus, ut à nobis, qui Deiparæ minores filii sumus, debitus ei honor impendatur.

Præmittitur nonnulla.

Naturali lege tenentur filii Parentes suos honorare. Deut. 5. 16.

2142 Atque in primis, duo nobis præmittenda sunt. Primum, naturali lege teneri filios Parentibus suis honorem deferre, pietatem, observantiam. Exod. 20. 12. Deut. 5. 16. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam. Utrobique verbo cabad usus est Moyses, quod & honorem & onus præ se fert. An quia universim gravissimum onus sustineat, qui honoris pondus ferat? Non extra rem. An quia perinde sit filio Patrem, aut Matrem honorare, atque piam in primis sarcinam subire, quam non liceat excutere? Certè. Neque honor hic perfunctoria observantia tantum; nec nuda capitis apertione, nec solo manus osculo constat; eò pertingit, ne quid Pater, aut Mater egestatis, ne quid calamitatis, ne quid ignominia patiarur, quin filius officiosissimè subveniat, diligentissimè incommodum quodque paternum, maternum prævertat; quantumvis sibi difficile, quantumvis grave, quantumvis accidat ponderosum. Idem præceptum multis amplificat Salom. Prov. 15. 20. & c. 39. 17. nec non Ecclesiast. c. 3. cujus verba non prætermiserim; sic eximie v. Eccles. 3. 7. Qui honorat Patrem suum, vitâ vivet longiore, & qui obedu Patri, refrigerabit Matrem. Ex Græco cum Complucentibus, Regia, & Ambrosio veritas: Qui obedu Domino Deo, quietem dabit Matri suæ. Reddas etiam, immunitatem faciet Matrem. est enim verbum avatousai, modus Demosthenes Græcæ eloquentia princeps usurpavit pro immunitate donare; observatque Scapula Græcè eruditissimus. Perinde autem dixit Vulgatus, refrigerabit, & reliqui, quietem dabit atque immunitatem faciet. Nam, ut explicat Henri. Stephanus, qui immunitas est, privilegio quietis, & refrigerii fruitur. Id verò jubetur à Deo, filius Matri præster, ut eam non vestigalem, non munificem communi sinat servire labori, sed liberam, sed quietam, sed immunitem. Quod maximè observari debet pro honore Matri exhibito Virgini à Christo.

Eccles. 3. 7.

Ephes. 6. 16.

214

2143 Præceptum hoc neque commendasse, neque explicasse omisit ipse Mundi Magister; imò à sinistris interpretationibus vindicasse voluit Matt. 15. 14. Apostolus etiam ad Ephes. 6. 1. vocat primum in promissione mandatum, eò quòd huic primam cælestem addat legislator promissionem: ut bene sit tibi. Hebraicè vox bonum omne complectitur: id enim filio & honestum, & commodum, & jucundum fore pollicetur. Porro autem quam strictum sit Parentum hoc jus, quam præcisa filiorum obligatio, vel inde expendas, quòd cum decem præcepta summus legislator duabus illis vel sapphirinis, vel adamantinis Tabulis impressa traderet, quæ præcepta vel ad Dei, vel ad Parentum honorem pertinerent, priorem tabulam occupare voluit; quasi diceret, Parentum honorem divino cultui conjunctissimum esse, nec transversum, ut ajunt, digitum distare: reliqua verò præcepta in secundam retulit Tabulam. Ita Hebræus Philo in Biblicis Antiquit. memorat. Et quidem Plato Dialogo. 11. de legibus, non aliter quam vivas Dei & expressas imagines, Parentes colendos jubet, quos suspicere, revereri, venerarique debeas, tamquam procreationis tuæ auctores. Hinc summus Theologus S. Thom. 2. 2. q. 101. a. 1. dum pietatis naturam explicat, eam post religionem statuit, docetque ut illa in Parentes, tum

B b b propter

propter eorum excellentiam, tum propter colata filii beneficia, in Deum ita feratur. Quo significatur, Parentum honorem ad divinum cultum proximè accedere. Legendus idem Doctor Angelicus 2. 2. q. 106. a. 1. & a. 6. ubi egregiè probat, beneficia à Parentibus colata filiis, tanti aestimari; ut vel maximam referendo gratiam, nunquam effectum beneficii, quod filius à Parentibus accipit, scilicet esse, & vivere; nihil æquale filius recompensare potest, ut Philosophus dicit 8. Ethicorum, c. 14.

Quibus in rebus honorare tenetur filius Parentes suos.

2144 Quod si quæras, quibus in rebus, quousque honorem filius teneatur Parentibus habere? Multis responderi à Theologis præfertim Moralibus legas, ubi de Præceptis Decalogi disputant. Lege Joan. Azor to. 2. l. 2. c. 2. & 3. & Greg. Sayrus in Clavi Regia l. 7. c. 5. & novissimè Stephan. Fagundes l. 4. in 4. Decalogi præceptum, qui reliquos vel Summistas, vel auctores memorant. Illud signatim, quod Sayrus, & Tolet. lib. 5. Instruct. Sacerd. c. 1. observant, teneri filium spiritali necessitati Parentes in primis consulere. Et quidem is præcipuus, summusque est Parentis honos, qui ex virtute, ac sanctitate provenit; ea turpissima omnium ignominia, quæ ex vitiositate, & scelere fit orta. Etenim si tenetur quisque ex communi charitatis præcepto spiritali cujusque proximi necessitati, etiam cum corporalis propria vitæ discrimine providere, uti docet optima Theologia, quid ni dicemus filium majori erga Parentem necessitudinis vinculo obstringi, ut propria posthabita vita corporea, spiritali Parentis necessitati subveniat, imminetè submoveat, incumbentem, si fieri possit, sollicitus prævertat?

2145 Alterum, quod præmitti debet ut certum est, statum justitiæ originalis fuisse homini honorificentissimum, peccatum verò originarium gravissimam esse ac turpissimam humani generis ignominiam, quæ cum humano honesto directè pugnet. Inde Pfaltes justitiam originalem quæsitâ voce Honorem nuncupavit, eâ dejectum hominem, honore de turbatum significat. Homo, cum in honore esset, non intellexit. Pf. 84. 13. Ad superbiam illam respicit Vates, qua divinam ambierat sapientiam: quasi dicat: Dum plus intellectuum se autumat, quam oporteret, nihil intellexit; imò verò ex rationali in pecudem insipientissimum evasit. Non intellexit. Hebraicè non pernoctavit. Culpæ id vertit, quod suggestionem serpentis, Evæ persuasionem non distulerit, cogitaturus, consulturus; sed instar insipientissimi pecudis nullo utentis rationis, in pabulum projectus est. Nimirum hominis erat, gravioris notæ caulam, quæ multâ egebat consultatione, non facile transegit, quin, proverbio jactante, pernoctatio matorum factum præcedat. Hanc super rem indormiendum dicimus Hispani (dormire sobre ello,) cum maturiori consilio expendentem censemus: & casus ille, dum gravi quæpiam de re consuleretur senex, identidem respondere solebat: Media interponenda nox. At improvidus, imprudens homo non intellexit, non pernoctavit præceptis in foemineum, donum actus, quo se in divinam provehendum putaret intelligentiam, in pecuniam potius detrusus est ignominiam, divino fuit honore dejectus. Atque hæc quidem de originariæ sanctitatis honore. Peccatum verò ori-

Gravissima peccati originalis infamia.

Pf. 84. 13.

Pernoctare pro consul-tare, serio-que cogitare rem aliquâ.

ginale ipsissimam esse ignominiam, gravissimè probat S. Athanas. tractans illum Josue locum cap. 5.9. Hodie abstuli opprobrium Egypti à vobis; quem atrox expositioni illius dicit, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Mat. 11. Confert S. Doctor circumfisioni baptismum, & opprobrium Egyptiacum originali peccato. Ablatum est opprobrium delicti (nempe per circumfisionem) quemadmodum dixit Dominus Josue: Abstuli vituperium Egypti hodierna die à vobis. Ita multo magis dicitur test unicuique eorum, qui baptizantur: In hac die abstuli convitium terrene generationis, & opprobrium corruptionis mortis à te in hoc ipso die. Per synecdochem, sumpto effectu pro causa, præputium, utpote originalis peccati signum, opprobrium delicti compellat, atque terrene generationis convitium: nam qui originali peccato fœdatis sunt, opprobriis sunt, & convitiis digni. Quod autem Egypti opprobrium, ait sacra Scriptura, sic explicat Athanasius; quasi Egypti præputium illud pro insigni gentis habuerint, quemadmodum è contra Hebræi circumfisionem tanquam proprium gentis stemma jactarint. Igitur circumfiso præputio, ait Dominus ablatum Egyptiacum opprobrium, utique ipsum cum suo ligno originale peccatum, quod est magnum naturæ nostræ opprobrium, convitium, ignominia.

Josue 5. 9. Opprobrium culpa originaria.

S. Athanas.

Lex honorandi Parentes Christum, quâ homo est, obligabat.

2146 H Is ita statutis, veniamus ad Christum & Deiparam, ad Filium & Parentem dilectissimam. Naturalis lex quarta, quæ filio Parentis honorem dicit, sanctissimæ Virginis filium, quâ homo est, utique obligabat. Christum autem, quatenus hominem, omnibus decalogi præceptis, utpote ad legem naturalem pertinentibus, obstrictum fuisse dicitur docent S. Thomas 3. p. q. 57. a. 2. ad 1. Vasq. 3. p. to. 1. disp. 74. c. 5. Suar. disp. 43. sec. 3. & alii multi. Et quidem tenentur idem asserere omnes illi Theologi, qui docent in legem naturalem nec divinam cadere posse dispensationem. S. Tho. 1. 2. q. 100. a. 8. Sor. 2. de justitia q. 3. a. 8. Victoria Relezione de Homicidio nu. 13. Richardus 3. d. 37. a. 1. q. 5. Abulensis Exod. 2. q. 35. Alber. Mag. par. 2. t. 20. q. 80. a. 2. Hervæus 1. disput. 47. q. 3. a. 3. Vide Valentiam tom. 2. disput. 7. q. 4. p. 6. Vasquez disp. 179. c. 2. Azor. to. 1. l. 6. c. 1. q. 3. Salas tr. de legibus disp. 5. sec. 9. Igitur si Christus tenebatur ad Decalogi præcepta, quæ omnino indispensabilia sunt, tenebatur utique quarto præcepto post Patrem Deum, Matrem proximo jure, debito honoris officio, prosequendam, sive ex pietate, sive ex gratitudine, sive ex Philotimia, aut magnanimitate; quarum virtutum priores binæ in Matris honorem tendunt, binæ posteriores in proprium, qui quidem ex materno redundabat honore. Unde meritò S. Methodius Orat. in Hypapanthen, Mariæ sic gratulatur: Euge euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutatur: Deo enim universi debemus. Tibi autem etiam ille debet. Proinde qui dixit: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut is decreverit, à se promulgatum observaret, & alios excederet, omnem Matri & gratiam & honorem impendit. Filium dum de Matris honore ageret, debitorem agnoscit, atque ex quarti Præ-

Christus Matrem suam honoravit omnem illi gratiam impendens. S. Metho.

cepti observatione omnem Matri Virgini honorem, & gratiam deulisse addit. Expende gratiam cum honore conjunctam; hanc enim summum honorem, & maximè curasse Filium intellexit Methodius. Quod autem omnem honorem, & gratiam ait, nullum excepit, quod jure Mater à Filio optatlet, jure in tanto Filio, tantaque Matre homines desiderassent.

Insignia Maria privilegia ab honesto honore desumta.

S. Thom.

S. August.

Blesens.

Ab eodem honesto honore desumta quæ Mariæ immunitas.

Probatur ea regis Patrum testimonis. Cant. 4.

Gerfon.

2247 Certè si insignia gratiæ divinæ privilegia spectes, quæ Virginem Matrem maximè honestant, ab honesto honore illa desumpta legas S. Thomas 1. 2. q. 18. a. 5. præpurgatam à fomite ait, ut dignum Dei redderetur domicilium; alioquin indigna fuisset, quæ in Dei Matrem eligeretur. Igitur à dignitate Matris id petit. Idem 3. p. q. 27. a. 4. immunitatem à peccato actuali ex eodem honoris tum Matris, tum Filii argumento petit, adducto testimonio Prov. 17. Gloria filiorum Patres eorum. Idem q. 28. a. 2. ubi ex vi præcepti naturalis & divini de honorandis Parentibus probat Matrem Dei Virginem in partu: Ne Matris honorem nascendo diminueret in Parentes præceperat honorandos. Rursus, S. Augustinus à corruptela, & tabe Virgineum corpus eximit, petitâ ratione ab honore, & obsequio filii erga Parentem. Lex (inquit Ser. 4. de Assum.) sicut honorem Matris præcipit, ita in honorem damnat. Qui enim in vita præceteris illam gratia sui conceptus honoravit, pium est credere, singulari salvatione eam in morte, & speciali gratia honorasse. Puredo nâque & vermis humana est opprobrii conditionis, à quo opprobrio cum Jesus sit alienus, natura Mariæ excipiatur, quam Jesus de illa sumpsisse probatur: caro enim Jesu caro est Mariæ. Et Petrus Blesensis, sive Alexander III. in Instructione fidei ad Soldanum Iconii, præclare scribit: Conceptus sine pudore, peperio sine dolore, & hinc migravit sine corruptione: ut Deus filius ejus antiquum, quod pridem docuit, mandatum fideliter adimpleret, videlicet Patrem ac Matrem honore prævenire, & ne caro Christi virginea, quæ de carne Matris sumpta erat, à tota disereparet. Quod Christus Dominus hæc omnia Matri privilegia ex divino præcepto promerendo contulerit, ex superiori Theologia intelligimus, neque obscure significant S. Thomas, S. Augustinus & multi alii. Atque longè gravius Maternam honestatem læisset opprobrium illud originale quod humano prorsus honori è regione opponitur. Ergo ab hac in primis ignominia, opprobrioque peccati originarii honestatem Maternam, immunem ex eodem præcepto præservavit. Quod autem longè sit gravior ignominia originalis culpæ, quam venialis, longè turpior quàm virginei, corporis corporea turpitudine, & corruptio, vel inde patet, quòd horum neutrum divinâ privat amicitia exosumque animum Deo reddit, Stygiique Tyranni servum, quod præstat tamen originale peccatum.

phi, & Poëta; sed quomodo sufficienter honoraret, si inhonestum peccatum in ea pro aliquo tempore dominaretur? Deinde subiecit; Cum tu summus Princeps velis habere Matrem carnaliter in terra, illi certe debetis honorem, obedientiam, reverentiam, servitium. Nunc autem aparet, illam legem non bene adimpleri, si in hujusmodi abominatione, immunditia, & subjectione peccati originalis aliquo tempore permitteres illam, quæ esse debet habitaculum, templum, & palatium totius puritatis. Quid luculentius? Accedit S. Bernardus Hom. 2. super Missus est. ubi sic primos Parentes affatur: Ambo consolamini super filia, & tali filia, sed illa amplius, de qua malum ortum est prius, cujus opprobrium in omnes per transiit mulieres. Inflat namque tempus, quo tam tollatur opprobrium, neque habeat vis quid causeus adversus feminam. Propterea curre Eva ad Mariam, curre Mater ad filiam, filia pro Matre respondeat; ita Matris opprobrium auferat. Illud nunc observa, quòd opprobrium prioris mali vocat Bernardus peccati originalis ignominiam à prima foemina investam, per foeminam expulsam, quod tunc doce. fuisse factum, quando secunda foemina immunitatè præ se tulit ejusdem opprobrii: non alia de causa, quam quòd tanti honoris auctorem edidit filium servatorem; nam ad Dei Matris honorem id pertinebat. Redditur enim foemina pro foemina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis lignum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus æterni. Neque opprobrium illud depulisse contentus Bernardus, justitiæ originalis detulit honorem Serm. 13. in Cæna Domini: Non est in filiis hominum magnus, vel parvus tanta præditus sanctitate, nec tanto religionis privilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus; præter Matrem immaculati peccatum non facientis, sed peccatum mundi tollentis.

S. Bernard.

Hispaniensis Liturgia.

2149 Honori Dei Matris hanc eandem Conceptionis immunitatem ab opprobrio originali adscribit Hispaniensis Ecclesia in liturgia de conceptione. Domine Jesu Christe, qui sic Virginem Matrem honorificasti, quousque conceptionis ejus gratia, eam suffragatricem incomparabilem invenimus. Ritè, eousque honorificatam à Filio Ma rem asserit, ut in gratia concepta, ejusdem conceptionis cultoribus optuletur. Multus est S. Anselmus in hoc urgendo argumento in libro de Exordio Mundanæ salutis.

Ut proprio honori Christus consuleret, Matrem fecit immunem.

2150 Aliunde verò, ut vel proprio honore certe gravissima tueri ex præcepto tenebatur, qui honos ex materiæ immunitatis honore pendebat, eam diligentissimè ab ipso procuratam, sapientissimè docent Theologi, dum autumant honorem Matris honorem esse Filii. Idephonus ser. de Assum. Ejus honor, S. Ildeph. S. Hieron. laus est Redemptoris. S. Hieronym. de Assum. Honor maternus ejus est, qui natus est ex ea. Leontius citatus in Synodo Nicæna 2. Leontius. Actio. 4. Qui Matrem Dei adorat, ipsi honorem assignat. Gerfon de Assumpt. Nulli dubiū quin totum ad gloriâ laudis ejus pertineat quidquid digne Genitrici suæ impensum fuerit, atque solemniter attributum. Rupertus lib. 6. in Rupert. Cant.